



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

13. De quindecim mysteriis Rosarii B. Virg. Accesserunt Leges
Congregationis Beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ, eiusdemq[ue]
Indulgentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

VOTIS RELIGIOSORYM. 553

expiari, delerique non potuerunt, nisi secundus Adam CHRISTVS IESVS factus obediens vsque ad mortem ignominiosissimā crucis illas sustulisset.

MEDITATIONES

De XV. *Mysteriis Rosarii B. Virg. Mariae.*

GAVDIOSA V.

1. DE Incarnatione Christi, & Annunciatione B. Virg.
2. De Visitatione B. Virg.
3. De natiuitate Christi
4. De Præsentatione B. V. in templo.
5. De Inuentione Christi in templo.

DOLOROSA V.

1. De oratione Christi in horto.
2. De flagellatione.
3. De Coronatione.
4. De Deportatione crucis.
5. De crucifixione.

Mm § GLO

354 MEDITATIONES DE
GLORIOSA V.

1. De resurrectione Christi.
2. De ascensione Christi.
3. De aduentu Spiritus sancti.
4. De assumptione B. V.
5. De Coronatione B. V.

V N D E V E R S V S.

1. Nuncius, inuisens, natus, praesens, reperitur.
2. Orat, cum flagris, spinas portat, crucifixus:
3. Surgens, ascendit, spirans, assumpta, corona

MEDITATIO I.

De 1. Mystero Glorioso.

De Annuntiatione B. Virg.

Luc. 1.

1. **C**ONsidera, immensam Dei caritatem, quod ad te ab aeterna damnatione redimendū, cū esset beatissimus & immortalis, voluerit fieri mortalis & miser homo, idq; sine vllō tuo merite, imò infinitis demeritis.

2. Considera, quomodo ad exequendum hoc mysterium mittatur de caelo legatus Gabriel archangelus, nunciaturus B. Virgini eam fore matrem Dei: quanto splendore apparuerit, qua reuerentia eā salutauerit. Et rursum, qua modestia B. Virg. auscultarit

DE MYSTERIIS ROSARII. 555

tarit, prudentia verba angeli expenderit, qua fide crediderit, & quanta humil rate ancillam se vocarit, licet electa esset Dei mater.

Cōsidera, quod mox post verba B. Virg. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, tota Trinitas ad eā descēderit & filius Dei in vtero eius factus sit homo; ac p̄inde & ipsa facta est mater Dei, regina hominū & angelorū, & quidā paradīsus, in quo Deus per nouē mēses habitare voluit.

MEDITATIO II.
De 2. Mysterio Gaudioso.

Luc. I.

De visitatione B. V.

CONSIDERA, quod B. V. mox post cōceptū in vtero Christō magna festinatione per mōtes altos Iudææ cucurreit ad visitandū cognatā suā Elisabēth tunc gravidam, & in vtero habentem S. Ioannē Baptistam. Mirare feruorem, caritatem, & humilitatem, quod existens mater Dei ei ministrarit vt ancilla.

Considera, quanto gaudio affecta sit Sancta Elisabēth ex visitatione Beatæ Virginis, quomodo obstupuerit à matre Dei se visitari, quomodo & infans in vtero eius ad præsentiā Beatæ Virginis & Chri-

& Christi iam concepti exultarit, quam humiliter B. Virgo laudes suas exceperit, & mirata sit humilitatem S. Elifabeth dicentis. *Vnde hoc mihi. ut mater Domini veniat ad me?*

3. CONSIDERA, quomodo B. Virgo auditis suis laudib. ut quod esset benedicta inter mulieres, & benedictus fructus v̄tris eius, erubuerit, & causã omnẽ bonorũ suorũ trãstulerit in Deũ, exclamando. *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

MEDITATIO III.

LUC. 2. De 3. Mysterio gaudio, ut
De Natiuitate Christi.

1. CONSIDERA, quomodo B. Virgo cum Ioseph ex Nazareth profecta sit cum magna fatigatione, in Berhlechem, ut edicto Augusti Cæsaris obediret, idq; hyeme & iam grauida & tenella. Atque ibi non inuẽto loco in vlllo diuersorio, ab omnib. velut mēdica repulsa, coacta sit manere in stabulo publico iniuriis cœli peruiro.

2. CONSIDERA, quomodo cum iam hora gloriosi partus adesset, mediã nocte, sine dolore, dum flexis genib⁹ oraret, genuerit Sal.

rit Saluatorem, quāto mox gaudio perfu-
sa sit, quā deuorē adorārit & osculata sit
infantulum, quā officiosē panniculis
vilibus sibi detractis inuoluerit, & in præ-
sepi posuerit.

Considera cum affectu compassionis, 3.
quomodo rex regū sic humiliatus iaceat
in duro psepio, & modico fano, quomo-
do rex angelorum iaceat frigore tremens
inter bouem & asinum. Attende ad gau-
dium angelorum cantantium. *Gloria in
excelsis*, & pastoribus nunciantiū hāc nati-
uitatē. Vide, quo studio illi mox accurrant
& dona sua rustica humiliter illi afferant.
Disce pauperi Christo caros esse, paupe-
res maximē & humiles.

MEDITATIO IV.

De 4. Mysterio Gaudioso. *Luc. 2.*

De Præsentatione B. Vir.

CONSIDERA, quomodo post 40. dies 1.
discedēs è Bethlehē abierit Hiero-
solymam, vt filium suū in templo præse-
taret & offerret, pareretq; legi Moysis, q̄
erat vt omnes mulieres à partu, quia erāt
immundæ, purificari se curarent. Vide hu-
milit.

558 MEDITATIONES DE

milit. B. Virg. quæ cum esset mundissima, tamen quasi peccatrix haberi voluit; cum nos, licet peccatores, sancti velimus videri.

2. Considera, qua modestia & deuotione benedictum fructum venteris sui, qui angelos lætificabat in templum portavit, quanta reuerentia & gaudio Simeon senex vltis suis cum exceperit, adorarit, & iterum iterumque osculatus sit, tum obrulerit eum flexis genibus super altare multis cum lacrymis Deo & in Canticum eruperit, dicens. *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace.*

3. Considera, quam miranda idem Simeon tum prædixerit B. Virgini, nempe quod infantulus ille aliquando ponendus esset in signum cui contradiceretur, id est, multa passurus esse à Iudæis, & quod animam ipsius Virg. pertransiturus esset gladius, quod accidit sub cruce tempore passionis. Vide, quomodo lætis Deus subito miscet tristitia, ne nimium prosperis efferamur.

MEDITATIO V.

Luc. 2. De s. Myserio Gaudioso.

De inuento Christo in templo.

1. CONSIDERA, quanta deuotione B. Virgo cum Iosepho sponso suo & filio Iesu
quor

quotannis iuerit Hierosolymam ad celebrandum Pascha. Quam ardeates preces ad Deum ibi effuderit, cum sciret se secum habere verum filiū Dei. Ut discamus multa facere ad quæ non tenemur, & libenter loca sancta predicandi causa adæamus.

Considera inrimum dolorem B. Virg.^{2o} quoniam domum regressa vesperi nō inuenit suum Iesum, quem putabat esse in comitatu Ioseph. perpēde quot gemitus, quot lacrymas profuderit, nesciens quo se verteret, erat enim nox. Interim vide Christū in angulo aliquo templi nocte orantem, de die autem vel orantem, vel panem mendicantem, vel de rebus piis loquentem.

Cōsidera, quomodo prima luce egressa sollicitè ab obuiis quaesierit, num vidissent filium, ac tandem cum nusquam apparet, quomodo redierit Hierosolymā merens & tristis, ac inuenerit filium sedentem in medio Doctorū. Cogita quantum gaudium ibi mox obortum, quomodo eam sit solatus monueritque
Deum magis diligendum,
quam paren-

tes,

MEDI-

560 MEDITATIONES DE
MEDITATIONES

Luc. De quinque mysteriis dolorosis.

22.

MEDITATIO I.

De oratione Christi in horto.

1. **C**OONSIDERA, Christum post cenā nocte cum undecim discipulis mœstū egredi ad hortum, ibique ad iactum lapidis auulsum ab ijs, procidere expāsis manibus in cœlū, primo in genua, tum pronum in terram. tristis enim erat anima eius ad mortem, id est, tanto mœrore obruebatur, vt videretur iā expiraturus. tristis autē erat, tum ob cruciatus quos sciebat se passurum, tum ob ingritudinem Iudæorum & nostram.

2. Considera, Quomodo, cum ter orasset, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste,* cuiusque desiderium patiendi pro te in eo creuerit, vt sanguis bulliens in venis, violenter tandem per poros corporis eruperit, & sanguinem sudarit. O Domine Iesu, quanta mea in orādo tepiditas est, quine vnā quidem guttulam aliquando exprimere possum?

3. Considera, quō tantum sanguinis vndiq; per vestes effuderit, vt non posset præ
debili-

debilitate surgere à tegra, nisi angeli eum eleuassent. Vide, cum surrexit, faciem eius deformatam puluere & sanguine, capillos sanguine concretos, & angelum Gabrielem sudorem abstergentem, & Christum confortantem.

MEDITATIO I E.

De 2. mysterio doloroso.

De Christi Flagellatione.

Matth.

27.

CONSIDERA, quomodo Christus coram infinita turba hominum à milite insaniente in publicum trahatur theatrum, vestibus omnibus spoliatur & dirè alligetur columnæ. Cogita quanta ei confusio fuerit toto corpore nudari, & agnum Dei inter rabidos lupos stare, creatorem mundi ab ingratissimis creaturis tam indignè tractari, flagella in humeros Dei cadere.

CONSIDERA, quam acerba fuerit flagellatio, primo enim nodosis funibus, tunc virgis caesus est sine misericordia. Scelester enim hominibus non poterant infligi nisi 40. verbera, ne excoriarentur, at Christo innumera, ut toto corpore fuerit laniatus. Finge te quasi presentem audire ictus. Videre quoque quomodo riuus sanguinis ex

Nu. facie,

562 MEDITATIONES DE

facie, aliis que partibus corporis defluant
& tota terra madefiat sanguine. Cogita
hæc vulnera infligi ob peccata tua.

3. **C**ONSIDERA, Christum, dum à colu-
mna solueretur, viribus fractū quasi trū-
cum concidisse in terram. Vide eum in pa-
nimento sanguineo nudum reptantem &
quærentem vestem qua se operiat. Cum
autem è terra surrexit purpura antiqua te-
ctus, cogita eum te sic allocutū. Hæc pas-
sus sum fili mi libenter pro te, & graviora
adhuc pati sum paratus, modo tu emēda-
re velis vitam tuam, & exigium aliquid
pati in hac vita.

MEDITATIO III.

De 3. Mysterio Doloroso.

De Christi Coronatione.

Matt.
27.

3.

CONSIDERA quomodo milites Pi-
lati post flagellationem Christo illu-
serint, induendo eū antiqua veste purpu-
rea, & texendo coronam ex acutissimis spi-
nis, eiusque capiti imponendo. Aspice quā
fortiter eam transversis lignis insigat, ut
etiam cranium penetrarent. Supplicium
quale de nullo unquā homine sumptū,
sed nec de cane.

Cor.

MYSTERIIS ROSARII. 163

2.
CONSIDERA, quomodo ei tribulerint
arundinem loco sceptri, & per ludibrium
genu flexo adorarint, dicendo. Au rex iu-
dæorum. deinde arundine caput verbera-
runt, & alapas dederunt in vultu sanguine
totum respersum. Cogita hæc omnia pa-
tienter eum fuisse pro voluptatibus & dis-
solutionibus tuis inordinatis.

3.
CONSIDERA, quomodo Christum ita
irrisum & consputum Pilatus produxerit
foras, & ostenderit Iudæis dicens *Ecce ho-*
mo, vt moueret eos ad commiserationem
Erat enim ita tractatus, vt videretur po-
tius esse non homo, & quasi leprosus, vt di-
cit propheta. Sed adamantina Iudæorum
corda mota non sunt. Sicut nec nos ali-
quando mouemur ad compassionem. Co-
gita quo dolore percussus sit cor B Virgi-
nis, quæ præsens erat, & vix filium suum
agnoscebat.

MEDITATIO I V.

De 4. Mystero Doloroso.

De deportatione Crucis.

4.
CONSIDERA, quomodo Pilatus me-
tu humano Iudæorum victus lauando
manus, Christum damnarit ad mortem crucis

Matt.

27.

h.

N 2 2 cuius

cuius sententiam iniquam Dominus humiliter acceptavit paratus mori pro nobis. Vide num tu quoq; multa mala facias metu, ne aliis displicias: & an æquo animo suscipias aliorum iniurias & contumelias.

2. **C**onsidera, quomodo eius humeris grauiissima crux imposita sit, vt eam portaret, (quod nulli latroni fieri solet vt proprium patibulum portet) quam benigne eam amplexus sit, quanto cum labore & sudore iam membris fractus portarit, & nimio onere pressus se pecciderit. Cogita tua peccata fuisse illud onus.

3. **C**ONSIDERA, quomodo deficiente Christo sub onere tandem crucem portandam Iudæi tradiderint Simoni Cyrenæo, vt disceres cum Christo tibi quoque aliquam crucem ferendam esse. Secundo cogita quomodo allocutus sit in illo itinere mulieres flentes, inter quas erat & B. Virgo, easque sit consolatus, vt discas nec in tribulationibus magnis à salute proximi quaerenda cessandum,

De 5. mysterio doloroso.

Matt.

27.

De crucifixione,

CONSIDERA, genus mortis crudelissimæ, primo enim Christus omnibus vestibus vi exuitur, & ita omnia vulnera renouantur, stabatque bonus Iesus totus sanguine perfusus: Tum in trabem humi iacentem detruditur, clavis obtusis transfiguntur manus & pedes. Augetur dolor eleuatione, & succussione crucis, & trium horarum diurnitate, quibus in ea pependit. Imaginare, quasi videres, & audires hæc omnia, vt ictus malleorum.

CONSIDERA, quanta ignominia affectus sit hoc genere mortis. Pendet enim nudus, & in medio latronum, ac si peior esset illis, in loco infami, in tot hominum presentia. Et in tanta confusione adhuc verbis contumeliosis excipitur & irridetur, ipse autem orat pro illis.

CONSIDERA, Christum extendere brachia in cruce, vt te amplectatur, clavis affixas manus, vt amorē erga nos indicet esse constantem. Caput inclinat vt nos osculetur. Nudus est, vt doceat nos omniū

N n 3 rerum

rerum contemptū. Moritur in cruce, ut in tribulationibus perferendis p̄seueremus.

4. Considera, B Virginem cum S. Iohanne sub cruce stantem, lacrymis omnino & sanguine de cruce fluente per fusos. Cogita tunc gladium transiisse animum B. Virg. de quo ei pr̄dixerat Simeon senex olim. Vide quomodo & ipsa tunc se obtulerit ad crucem subeundam, si fieri posses.

MEDITATIO I

De I. mysterio glorioso.

De Resurrectione Christi.

Ioan.
20.

1. CONSIDERA, gaudium summum S. Patrum in lyabo, cum anima Christi gloriosa tandem expectata ad eos liberandos summo triumpho venit.

2. Considera, gaudium summum B. Virginis, cum vidit Christum cū corpore glorioso intrantem cubiculum, quando cum eo collocuta est, non dubiū, quin absorpta sit in contemplatione tam splēdidi corporis, quod ante erat tam deformatū.

3. Considera, gaudium Mariæ Magdalene, cui, dum ploraret apud sepulcrum, apparuit in specie hortulani. Nec enim tenere se potuit, quin rueret in eius amplexū.

CON-

Confidera, gaudium Apostolorum, 4
 maximè B. Petri, qui Christum negauerat,
 omnes enim ob Christi mortem, & fugam
 suam valde erant afflicti. Apparuit autem
 eis sapius, & consolatus est, quæ magna
 fuit Christi bonitas.

MEDITATIO II.

De 2. mysterio glorioso.

De Ascensione Christi. A. 1.

CONSIDERA, quomodo in montem
 Oliueti, vbi erat B. Virgo cum discipu-
 lis & mulieribus, venerit Christus comita-
 tus Partibus ex lympo liberatis: quam be-
 nignè ibi valedixerit matri & aliis, quo-
 modo matrem commendarit Apostolis,
 omnesque benedixerit.

Confidera, quomodo B. Virgo & 2.
 discipuli commoti fuerint, videntes Chri-
 stum manibus expãsis summa gloria ferri
 in altum stipatum innumeris angelis sua-
 uissimè cantantibus. Patribus lympi etiã
 infinito numero, splendore maxime se-
 quentibus.

Confidera, B. Virginem flexis geni- 3.
 bus cum aliis in cœlum continèter respi-
 ciètem, & prorsus spiritu raptam. Cogita,

Na 4 quo

quo triumpho, lætitia, hymnis angelorū
cælum Christus ingressus, quomodo Pa-
ter cœlestis eum amplexus, in throno sū-
mo ad dextram eum locauerit.

4. Considera, B. Virginem & comites
maximam consolationem accepisse ab
angelis, quos in albis vestitos misit Chri-
stus de cœlo: cuius hortatu magno cum
gaudio Hierosolymam redierunt.

MEDITATIO III.

De 3. mysterio glorioso.

Art. 2.

De aduentu Spiritus sancti.

1. CONSIDERA, B. Virg. cum discipulis
in cœnaculo Spiritus sancti aduentum
expectantem, cum summa cōcordia, ora-
tione feruenti & continēti, suspiriis & la-
crymis, idque diebus multis.

2. Considera, quomodo eis in ora-
tione raptis factus sit repente sonus in ad-
uentu Spiritus sancti, id est, suauissimus
concentus mirè afficiens eos, qui replebat
totam domum, id est, corda eorum omni-
bus donis cœlestibus.

3. Considera, quomodo linguæ igneæ
super omnes apparuerint; quæ designant
amo-

amorem diuinum in corde eorum accensum, vt non timerent amplius predicare Christum crucifixum Hoc ardore accensus Petrus prima concione. 3. millia conuertit.

CONSIDERA, quomodo B. Virgo, quæ plus omnibus repleta erat Spiritu sancto, gauisa fuerit, cum videret tā felix initium Ecclesiæ sanctæ, tam abundantē fructum sanguinis à benedicto filio suo in cruce effusi.

MEDITATIO IV.

De 4. mysterio glorioso.

De Assumptione B. Virginis.

CONSIDERA, magnum desiderium B. Virg. moriendi & videndi filium suum. Deinde lætitiā, quando cognouit horam mortis appropinquare. vixerat enim in terra, tanquam in longo exilio.

CONSIDERA, quomodo voluntate diuina ante mortem ex roto orbe miraculose omnes Apostoli, qui in viuis erant, ei adfuerint. Cogita, quæ colloquia ibi fuerint, quā ardentes præces, quanto honore eam affecerint, quantum vtrinque gaudium ex mutuo conspectu.

N n s CON-

7. Considera, quam sedulo se ad mortem preparauerit. quo enim morti fuit uicinior, eo uiuaciora fuerunt eius desideria, & ardentiores orationes, donec magna pace & vultus serenitate anima illa luan-
clatior euolaret.

4. Considera, puritatem, innocentiam, & summas opes illius animæ tanta gratia, tot virtutibus & meritis ornata. Quam cogitare possumus ipsius Christi de cælo delapsi brachiis in cælum portatam, comitantibus innumeris angelis cum symphonia suauissima, & læticia inenarrabili.

MEDITATIO V.

De mysterio Glorioso.

De coronatione B. Virginis.

1. CONSIDERA, B. Virginis animam eodem splendore & triumpho, quo in cælum assumpta est, descendisse de cælo, ut ascenderet cum corpore. Cogita quam illud pulcrum, & gloriosum fuerit. Si enim alii iusti splendebunt ut Sol, quomodo splenduit mater Dei quæ nunquam peccauit.

2. Considera, quanta gloria cum corpore & anima ascenderit in cælum: qui
hymu

MYSTERIIS ROSARII. 571

hymni cantati, quæ læticia angelorū, quā-
ta consolatio antiquorum Patrum fuerit,
quanto honore recepta ab iis sit in cœlū.

CONSIDERA, quantum gaudium fue-
rit Christi videre matrem suam; quomo-
do eam manu sua introduxerit in cœlum,
quomodo eā super omnes choros ange-
lorum & Sanctorum euezerit, & sanctiss.
Trinitati præsentarit;

CONSIDERA, quomodo recipiat eam
Pater, vt filiam. Filius, vt matrem; Spiritus
sanctus, vt sponsam sanctissimā, quomo-
do in splendidissima sede ad dexteram filii
sui eam collocent, & pretiosissimam coro-
nam eius capiti omnes tres simul impo-
nant, applaudente tota curia cœlesti san-
ctis acclamationibus & hymnis.

APPENDIX.

*De modo recitandi Rosarium cum me-
ditatione horum Mysteriorum.*

QV ID sit Rosarium, quæq; eius insti-
tutio vel approbatio, vide in libello
Sodalitatis Marianæ P. Frac. Costeri, vel in
Manuali Sodal. Constat autē Rosariū Ora-
tione Dominica quinquies, & Salutatio-
ne Angelica quinquagies repetita. Quod

h r c r

si ter iteretur, vocatur Psalterium B. Virginis, eo quod tot in eo sint salutationes, quot sunt Dauidici Psalmi, id est, 150.

Quia autem difficile est oranti Rosarium ad eadem verba toties repetita attendere, piè institutum est, ut quodlibet Rosarium quinque mysteriis perficeretur, quibus meditandis, dum os verba proferret, mens occuparetur. Ac primo quidem Rosario competunt 5. mysteria gaudiosa. 2. dolorosa. 3. gloriosa.

MODVS autem cum mysteriis recitandi Rosarium potest esse duplex. PRIMVS est, ut antequam decadē aliquā inchoes, mysterium, quod in ea meditandum est, breuiter in mentem reuoces, retinendum tamen, donec decadem absoluas. Deinde sub initium orationis Dominicæ Deum velut præsentē animo subiicias ut Patrem; sub initium vero salutationis angelicæ B. Virginem, ut Matrem: quo nimirum imaginatio circa id occupata euagari huc illuc non possit. Væ certe imagineris te ferri per ea loca, in quibus ea mysteria facta sunt, illisque te præsentem esse cogites, ac si oculis tuis haberes proposita. Quod magno voluptatis sésu fieri potest, sicut otiosi imaginamur aliquādo nos totam Gal-

MYSTERIIS ROSARII. 575.

tam Galliam vel Italiam percurrere, & mirari videre, &c POSSUNT autem Dominico & Feria. 5. expendi mysteria gloriosa. Feria. 2. 3. & Sabbatho gaudiosa. Feria. 4. & 6. Dolorosa.

SECUNDVS Modus est, vt ad singulas decades, mysterium, quod expendimus in ipsis salutationibus angelicis breuiter inseratur hoc pacto.

IN ROSARIO GAU-
DIOSO.

Ad decades singulas cum ventum est, ad nomen Iesus adiiciatur.

1.	} Quem	Virgo concepisti	} S. Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. &c.
2.		Visitando Elisabetham portasti	
3.		Virgo genuisti.	
4.		In templo presentasti.	
5.		In templo inuenisti.	

IN ROSARIO DOLO-
ROSO.

Ad nomen Iesus adiiciatur.

A D

174 MEDITATIONES DE

1.	} Qui pro nobis	} Sanguinem sudavit.	} S. Maria, &c.			
2.				} Flagellatus est.		
AD 3.					} Spinis coronatus est.	
4.						} Crucem baiulavit.
5.						

IN ROSARIO GLO-
RIOSO.

Ad nomen Iesus adiiciatur.

1.	} Qui	} Resurrexit à mortuis.	} S. Maria mater, &c.			
2.				} In cœlum ascendit.		
AD 3.					} Spiritum sanctum misit.	
4.						} Te assumpsit.
5.						

Quia vero quodlibet Rosarium concludi solet oratione Dominica, & ter salutatione angelica in honorẽ S. Trinitatis, ac symbolo Apostolorum, vel, ut aliis placeat, ab iisdem inchoatũ.

IN I.

MYSTERIIS ROSARII 579

In I. Rosario post Iesus in salutatione
angelica adiacatur.

Qui nobis } Fidem rectam.
 } Spem firmam. } S. Maria
 } Caritatem per } mater &c
 } perpetuam. }

In II. Rosario post Iesus adijciatur.

Qui nobis } Intellectum illu-
 } minet. } S. Ma-
 } Voluntatem per- } ria. &c.
 } ficiat, }
 } Memoriam ro- }
 } boret. }

In III. Rosario post Iesus adijciatur

Qui } Dirigat cogitatio-
 } nes. } S. Maria
 } Reget verba. } mater, &c.
 } Gubernet opera. }

F I N I S.
MEDITATIONVM.

LEGE